

Ex lege regio Castellæ ex septem partibus

L. 27. tit. 2. p. 3. explicatur lib. 10. disp. 12. n. 24.

L. 1. tit. 5. par. 4. libro. 7. tota disp. 20.

L. 6. tit. 9. par. 4. lib. 10. disp. 8. numero. 47.

L. 3. tit. 12. part. 4. lib. 7. tota disp. 90.

L. 1. ho. tit. 13. par. 4. lib. 7. disp. 20. numero. 12.

L. 3. tit. 19. par. 4. lib. 10. tota disp. 20.

L. 2. tit. 22. par. 4. lib. 7. disp. 24. numero. 17.

L. 5. t. c. 22. part. 4. lib. 7. disp. 20. numero. 3.

L. 6. tit. 11. par. 5. lib. 7. disp. 24. numero. 22.

L. 26. tit. 13. part. 5. lib. 7. tota disp. 89.

L. 9. tit. 16. p. 6. lib. 7. disp. 88. à nu. 16. vsq; ad. 20.

L. 22. tit. 1. p. 7. lib. 10. disp. 6. nu. 10. & disp. 8. n. 22.

L. 7. tit. 17. par. 7. lib. 10. disp. 6. numero. 12.

L. 9. tit. 17. par. 7. lib. 10. disp. 8. numero. 47.

L. 3. tit. 20. p. 7. lib. 7. disp. 12. à nu. 1. vsq; ad. 29.

L. 10. tit. 33. p. 7. lib. 10. disp. 18. numero. 34.

Ex legibus Tauri, & nonæ Recopilationis Castellæ.

L. 8. tit. 1. lib. 5. recopil. quæ est. l. 47. Tauri, explicatur lib. 7. disp. 82. n. 7.

L. 1. tit. 8. lib. 5. recopil. quæ est. l. 6. Tauri, lib. 7. disp. 89. n. 39.

L. 5. tit. 9. lib. 5. recopil. lib. 7. disp. 90. nu. 8.

L. 1. tit. 20. lib. 8. recopil. lib. 10. disp. 8. nu. 12.

L. 4. tit. 20. lib. 8. recopil. quæ est. l. 81. Tauri, lib. 10. disp. 8. n. 7.

Explicit index textuum qui in hoc opere explicantur.



LIBER SEPTIMVS
DE IMPEDIMENTIS, VEL
SOLVM IMPEDIENTIBVS,
VEL ETIAM MATRIMONIUM
DIRIMENTIBVS.

DIVISIO TOTIVS LIBRI.



Remissis aliquibus disputationibus quæ omnibus impedimentis communes sunt, differemus de impedimentis solum impedientibus, ac de potestate, ac necessitate circa illa dispensandi. Deinde de impedimentis dirimentibus, hoc ordine sermo habendus erit. Primo, de impedimento erroris, & conatiionis. Secundo, de voto salemni, & ordine. Tertio, de re ipsi cognatione. Quarto, de affinitate. Quinto, de publica honestate. Sexto, de disparitate cultus. Septimo, de impedimento criminis. Octavo, de impedimento ligaminis: & ibi, de secundis nuptijs, earum benedictione, bigamia, ceterisque earum poenis. Tandem de impotentia, seu frigidaute. Nec impedimentum violentie prætereo. Quia iam de illo totus liber quartus disputavit.

DISPUTATIO PRIMA.

An integrum sit Pontifici, & Episcopis impedimenta matrimonium dirimentia statuere.

SVMMARIVM.



Reponuntur argumenta suadentia partem negantem, nu. 1.

Pontifex potest impedimenta matrimonium dirimentia statuere: & satisfi. argumentis oppositis, nu. 2.

An possit Pontifex infidelibus impedimenta matrimonium dirimentia statuere: nu. 3. & re missiue, an impedimenta ab ipso statuta

comprehendant infideles sibi subditos?

Desideratur iusta causa, & maior ad impedimenta dirimentia, nu. 4.

Refertur sententia docens tenere sacrosanctissimam causam impedimenta statuat Pontifex, nu. 5.

Sententia Authovis, nu. 6.

An possit Pontifex aliquos privatos reddere inhabiles ad contrahendum inter se matrimonium, non lata lege generalis, nu. 7.

An possit certam personam omnino inhabilem reddere, num. 8.

An possit in sua diocesi matrimonij impedimenta dirimentia statuere Episcopus, num. 9.

An possit ad eum Episcopus aut parochus matrimonium impedire? remissive, no. 10.



ANTEQVAM Tractatum de singulis impedimentis, tum solum impedientibus, tum etiam dirimentibus, aggrediamur, questiones quasdam generales, ac omnibus impedimentis communes praemittere oportet. Praesens igitur circa potestatem Ecclesiae, ad impedimenta dirimentia statuenda versatur. Quae multum negotij nobis faceret, in late disputata esset lib. 3. tot. disp. 4. ubi an Ecclesia potuerit irritare matrimonium clandestinum? Eadem enim ratio vtriusque difficultatis est. Et argumenta ibi proposita, hic militant. Totaque difficultas eo pertinet, quod Ecclesia non poterit mutare materias, & formas sacramentorum. Cum ergo matrimonium sit sacramentum, non poterit Ecclesia eius materiam & formam variare, reddendo eos inhabiles ad verum matrimonium ineundum, qui iure naturae habiles sunt.

Prima conclusio. Fide catholica tenendum est, posse Ecclesiam impedimenta matrimonium dirimentia statuere, ac matrimonium aduersus eam prohibitionem contractum, esse irritum. Quod quidem constat ex multis Pontificum, & Conciliorum decretis, quae huiusmodi impedimenta statuunt. Et ex usu vniuersae Ecclesiae. Et deum veritas haec stabilita est in Concilio Trident. scilicet. 24. de matrimon. Canone 3. & 4. Nec id est mutare essentiam, aut variare materiam, & formam sacramenti, sed irritum facere contractum humanum, qui in sacramento matrimonij praerequitur. Quod late declarauit, & solui argumenta opposita lib. 3. tota disput. 4. & ideo non immoror.

Quidam haec Ecclesiae potestatem ad infideles etiam extendunt, atque ita asserunt posse Ecclesiam infidelibus impedimenta matrimonij dirimentia statuere, & proinde si intendere inter ipsos irritare matrimonium in gradibus consanguinitatis, quos prohibet, verè fore irritum: at forte id non intendere. Sic Guilielmus Rubion. 4. de 40. q. 2. initio, & conclusione 3. Quo tamen fundamento ducatur, me prorsus latet. Et ideo reiecta ea sententia, dicendum est Ecclesiam minimè habere eam potestatem ad-

uersus infideles. Quoniam cum sint extra Ecclesiae gremium, nulla iurisdictione in eos gaudet: atque ideo constitutionibus Pontificijs minime astringuntur, vt fatetur expresse Innoc. 3. c. gaudemus, de diort. ad ducto Pauli testimonio. 1. ad Corinthios, 5. Præterea, quia ideo disp. 3. dicemus, posse hodie Principes infideles impedimenta matrimonium dissoluentia, suis legibus indicare: cum tamen id Principibus Catholicis non sit integrum. Quia Ecclesia hanc sibi reseruauit facultatem, Ecclesiae autem reseruat ad infideles non protrahitur, vt pote qui Ecclesiasticae iurisdictioni minime subduntur. Id tamè libenter concedo, nimirum, posse Pontificem non tanquam Ecclesiasticum Principem, sed tanquam temporalem, impedimenta dirimentia matrimonium, infidelibus inhabitantibus oppida suae temporali iurisdictioni subdita, decernere. Sicut potest Princeps infidelis sibi subditis. Quia veram habet iurisdictionem temporalem supremam Pontifex in eos infideles tanquam dominus temporalis eorum. Dixi, infidelibus suae temporali iurisdictioni subditis: nam infidelibus incolis aliorum oppidorum, quae Principibus fidelibus subduntur, nequit Pontifex ea impedimenta statuere. Quia nulla temporali iurisdictione fungitur in ijs oppidis, sed sola spirituali, tanquam supremum Ecclesiae caput, ab hac autem iurisdictione infideles exempti sunt. Quamuis Ledesma. 2. p. 4. quaest. 61. art. 2. colum. 3. & Abul. 1. reg. 8. q. 178. clarè sentiant, id posse respectu omnium infidelium qui Christianis subduntur. An verò Princeps ille Catholicus cui infideles illi temporaliter subduntur, id possit efficere? dicam disput. 3. numer. 8. ubi etiam dicemus an impedimenta matrimonij a Pontifice statuta, comprehendant infideles sibi temporaliter subditos.

Secunda conclusio. Desideratur iusta causa vt Pontifex ritè, & rectè valeat impedimenta matrimonij indicare. De veritate huius conclusionis nemo dubitat. Quoniam Pontifici potestas non est ad dissipandum, sed ad rectam Ecclesiae administrationem: quae causam iustam postulat, maxime ad interdicendum matrimonium iure naturali, & diuino concessum. Et vt bene educit Ruardus Taper. art. 20. Louaniensi, paulò post principium maior exigitur causa ad dirimendum, quam ad simpliciter prohibendum matrimonium, & saepe aderit iusta causa pro-

hibendi,

hibendi, non tamen dirimendi. Quia dirimere grauius est quam simpliciter prohibere.

Difficultas autem est, an si Pontifex absque causa iusta decernat impedimentum aliquod, tenet factum: ita vt sit peccatum cum eo impedimento inire matrimonium, si solum impediens sit, & sit irritum, si impedimentum dirimens sit? Afirmant aliqui, quauis admittant Pontificem tunc reum esse culpae. Ducuntur, quia multa potest peccando efficere Pontifex, cum tamen facti tenet. Secundo, quia cum olim potuerit dirimere matrimonium intra septimum consanguinitatis gradum contractum; vt constat ex c. ad sedè. 35. q. 5. donec gradus restricti sunt, c. non debet, de consang. & aff. fin. ita hodie poterit in vltioribus gradibus matrimonij initu dissoluere. Sic docet Hostiensis, dicens fore ita esse c. tua fraternitas, ad si. de spò. duor. Veracruz. 1. p. specul. ar. 46. §. dubitatur vtrū. Vegaz. to. sum. c. 34. casu. 12. & limitant Veracruz, & Vega, nisi ita Pontifex gradus consanguinitatis interdicere, vt non supersent personae, quibus integrum esset matrimonio inter se copulari.

Ceterum omnino tenendum est ad valorem prohibitionis desiderari iustam causam. Et proinde ea non existente, dicendum est matrimonium contra eam initum, validum esse, & culpa vacare. Quoniam cum matrimonium sit vinculum iure naturali, & diuino inuentum: ac omnibus concessum, excepto saltem primo gradu consanguinitatis inter ascendentes & descendentes, non potest Pontifex illud adhibere interdicere, sed sicut dispensatio in ijs quae iure naturae obligat, facta absque causa est irrita, ita eisdem est de prohibitione matrimonij absque legitima causa. Nec obstat argumenta opposita. Quia fateor Pontificè dispensando in ijs quae sunt de iure humano absque causa, peccare, at validè esse dispensationem. Secus autem est, dum interdicat matrimonium in gradibus iure naturae concessis, non existente iusta causa. Et olim dum Ecclesia interdixit matrimonium vsque ad septimum consanguinitatis gradum, iustam interdicendi causam habuit: ad post, successu temporis experientia docuit expedire gradus restringere, vt dicitur c. non debet, de consangu. & aff. & ita ibi restricti sunt. Posset autem Pontifex etiam modo plures gradus prohibere, si iudicaretur adesse nouam causam plures interdicendi. Id autem non posse iuste, nec valide citra iustam causam affirmamus. Atque ita docent Hostiensis summa. tit. de

matrimon. contracto contra interdictum Ecclesiae, num. 3. initio Henricus, c. finali. num. 1. eodem tit. & c. quanto numer. 8. de consuetud. Alexander de Neoc. c. pen. nu. 22. de despons. impub. Ledesma. 2. par. 4. q. 56. art. 4. §. pen. Et quidam vir doctissimus (vt refert Veracruz, num. praecedenti allegatus.) Est commune placitum.

Dubitabis tamen, an sicut potest Pontifex legem generalem indicare, qua matrimonium ex causa iusta irritet inter certum genus personarum: ita possit aliquos priuatos ita prohibere ne matrimonium inter se ineamt, vt matrimonium aduersus eam prohibitionem contractum, sit prorsus nullum, quando iusta intercedit causa, vt magna disparitatis inter contrahentes, & timoris discordiarum grauius? Nau. lib. 4. consil. in 1. editione. tit. de spò. sal. toto consil. 24. in 2. vero editione, tit. de matrim. contracto eò tra interd. Eccl. toto consil. 1. quaestio. hanc mota nil decidit de potestate Pontificia circa hoc impedimentum dirimens statuentiu, sed dicit nullo pacto expedire vt id statuat: fatetur tamen posse interdicere id matrimonium, & iubere parochos eam prohibitionem aduersus ea prohibitionem simplicem fore validum, & dicit nunquam auditum esse vt Pontifex simile impedimentum dirimens statuerit. Et in ea 2. editione, eodem tit. consil. 2. num. 3. dicit etiam si esset in ea opinio vt Pontifex id posset, id non expedire. Vnde in neutro loco decidit id posse Pontificem. Et Liriquet lib. 12. de matrim. c. 2. num. 1. iuncto commento, littera. C. dicit nunquam Pontificem simile impedimentum dirimens statuisse, nec esse expediens vt id statuat: idque fuisse dubitatum in casu cuiusdam Magnatis, ad instantiam Regis Hispaniae: atque ita circa potestatem statuendi nil definit. Verum existimo posse Pontificem iusta existenti causa aliquos priuatos reddere inhabiles vt inter se matrimonium ineamt. Quia si potest ex iusta causa reddere irritum matrimonium inter omnes personas certi generis, vt inter omnes consanguineos vsque ad quartum gradum: cur non poterit irritare inter duas priuatas personas, ubi tamvrgens fuerit causa vt id postulat? Et ita sentiunt Hostiensis summa. tit. de matrim. contracto contra interd. Eccl. sine, & c. penultimo, sine, de despons. imp. & ibi Ioann. Andr. sine. Anchar. nu. 7. Cardin. Clem. vnica. num. vltimo, de rerum permut. & ibi Anchar. q. 5. num. 9. Felin. c. ex parte, num. 6. vers. quare

tus casus, de constit. Astenfis summa. 2. par. lib. 8. tit. 31. art. vnico q. 2. Palud. 4. d. 34. q. 1. art. 1. num. 10. D. Anton. 3. p. tit. 1. c. 16. in fine principij. Greg. Lopez. l. 18. ver. bo. ser. deshecho, tit. 2. p. 4. Et Additionator ad Nauarrum lib. 4. conf. tit. de matrim. contract. cont. interd. in 2. editione, consil. 1. fine, refert Pontificem nostra hac etate inhabilitasse quendam virum illustrissimum ad inendum matrimonium cum certa femina: & iterum quendam alium, qui vt eluderet sponsalia de futuro, super quibus lis pendebat, tentabat contrahere aliud matrimonium. In vtroque enim euentu graua scandala non immerito timebantur.

8 Vrgentior tamen difficultas est, nū integrum sit Pontifici, iusta subsistēti causa, personam aliquam reddere perpetuo inhabile ad matrimonium, quae iure naturali habilis erat? Nam in casu praemisso, illi qui à Pontifice reddebantur incapaces matrimonij inter se ipsos inuendi, non altrangebantur ad vitam coelibem traducendam, poterant enim ad alias transire nuptias. In praesenti autem, persona haec cogere ad perpetuam continentiam. Cum tamen ad illam nemo absque proprio consensu astringi possit. c. integritas 22. q. 1. nec priuari matrimonio, quod in remedium concupiscentiae natura ipsa indulsit. ¶ Alexander de Neuo. c. tuas, num. 17. de sponsa duorum, refert ex Calderino ibi, Vrbanum. V. reddisse inhabiles ad matrimonium inendum Bernabonem vicecomitem, & dominum Mediolanensem, ac liberos eius rebelles Ecclesiae: & tunc agitata hinc inde quaestione de potestate hac Pontificia, Calderinum sustinuisse id integrum esse Pontifici: quod idem sustinet Alexander de Neuo ibi. Et ita tenendum est. Quātuis enim ius naturae concedat cuilibet matrimonium, at potest Pontifex in grauissimi delicti poenam, eo iure quonquam priuare, reddendo ipsum inhabile: sicut posset capitale peccetere, aut in seruitutem redigere, pri-

uando libertate a natura concessa. Insuper, si potest Pontifex in poenam delicti impedire perpetuo matrimonium, ita vt citra culpam lethalem iniri minime valeat? vt de facto impediunt propter incestum, & quaedam alia crimina (vt videbimus disp. 6.) Cur vbi grauitas delicti id exegerit, non poterit ita alicui interdiceri matrimonio, vt contra prohibitionem initum, officiat inuallidum? Pontificia enim potestas nõ arctata est ad sola impedimenta matrimonium impediendia statuenda: sed ad dirimētia quoque extenditur.

9 Vltima conclusio. Si solum ius diuinum, & naturale attendamus, sicut integrum est Pontifici in vniuersa Ecclesia impedimenta matrimonium dirimētia statuere, ita Episcopo in sua diocesi. Quia quidquid potest Pontifex in vniuersa Ecclesia, potest Episcopus in sua diocesi, nisi Pontifex sibi referuet (vt probauimus lib. 1. disp. 61. num. 3.) At id hodie non potest, quoniam hoc sibi Pontifex referuauit. Atque ita docet Victoria relect. de matrimonio. 1. par. secundae partis, ad finem. Ledesma. 2. part. 4. q. 56. art. 3. dubio 1. conclusio 2. ad mediū. Et id non posse quoniamque Praelatum Pontificis inferiorē docent etiam, Antonius c. tua fraternitas, num. 5. de sponsa duorum, & c. penultimo, in fine, de despons. impub. & ibi Abb. sine, Alexand. de Neuo. num. 21. Couar. 4. decretalium 2. par. c. 6. §. 10. nu. 16. & communiter Doctores, Palud. 4. d. 34. q. 1. art. 1. num. 10. Tabiena verb. impedimentum, impedimēto. 13. num. vnico ad finem. Armilla verb. matrimonium nu. 54. Sed textum non referunt, id Pontifici reseruatum, nec eum inueni. Et ideo ex generali Ecclesiae consuetudine id Pontifici reseruatum credo, sicut de dispensatione quinq; votorum reseruatorum communiter tradunt Doctores.

10 Vtrum autem valeat Episcopus, aut Parochus ad tempus impedire matrimonium, dicam disp. 6. nu. 6.



DISPUTATIO SECVNDA.

An Pontifice interdicti suo praecepto, aut cōstitutione matrimonij, eo ipso reddatur irritum, si contra eam prohibitionem ineatur?

SUMMARIVM.

Proponitur textus qui difficultatem in hac quaestione ingerunt, num. 1.
Non redditur inuallidum matrimonium, quando prohibitio est inferioris, nu. 2.
Quando prohibitio est Pontificia, referuntur sex sententiae, nu. 3. 4. 5. 6. 7. 8.
Sponsalia de futuro contra simplex Pontificis interdictum non valent, & quid contra inferioris prohibitionem? nu. 9.
Valeat matrimonium aduersus Papae prohibitionem, absque decreto irritanti, nu. 10.
Quid, si sit decretum generale irritans, non sola matrimonij mentione, nu. 11.
Quid, si in decreto irritanti fiat specifica matrimonij mentio, nu. 12.
Num aliquid interstet, an prohibitio Pontificia sit per modum praecepti, an per modum constitutionis, nu. 13.
An matrimonium in initum aduersus iustam iudicis prohibitionem, sit ad tempus separandum, & sit interdicendum vsus coniugij? & explicatur c. 1. de matrim. contracto contra interdictum Eccles. nu. 14.
An licet pendenti possit contrahi matrimonium: & si contractum fuerit, sit separandum? & explicatur, cap. laudabilem, vt licet pend. num. 15.

NSAM Dubitandi tribuunt tres textus, qui sibi aduersari videntur. Duo enim videntur statuere matrimonium in initum contra Ecclesiae interdictum esse irritum. nempe. c. tua fraternitas; de sponsa duorum, ibi. Et si contra interdictum Ecclesiae publice factum venire praesumpserint, matrimonium eam praesumptuose contractum poterit irritare. Vbi sermo erat de his qui appellatione pendenti super prioris matrimonij valore, ad aliud transire. Et c. penultimum, de desponsat. impub. ibi: Quod si contra interdictum nostrum, in praedictum ipsius aliquid fuerit attentatum, id irritum esse decernimus, & viribus omnino carere. Vbi sermo habebatur de quibusdam, quibus Pontifex matrimonium interdixerat, ob consanguinitatem obiectam ipsis, donec veritas discerneretur. Ex altera vero parte pugnat

c. 2. de matrim. contracto cont. interd. Eccles. in fine, vbi expresse dicitur non esse dissolendum matrimonium, eo quod contra Ecclesiae prohibitionem in initum sit. ibi: Licet enim contra interdictum Ecclesiae ad secunda vota transire non debeat, non est tamen conueniens vt ob id solum, sacramentum coniugij dissoluatur, aliqua tamen poenitentia eis debet imponi. Quia contra prohibitionem Ecclesiae hoc fecerunt. Et est tibi sermo de his quibus ob sponsalia praecedentia interdictus erat transitus ad alias nuptias, donec de priorum sponsalium veritate cognosceretur.

In hac igitur disputatione id fatetur omnes, nimirum, vbi prohibitio matrimonij fuerit facta à praelato inferiori, non reddere irritum matrimonium aduersus eam factum. Quia Praelatus Pontificis inferioris, impedimentum dirimens indicare nequit. Vt disp. praecedenti, num. 9. diximus.

Difficultas autē est, si prohibitio sit Pontificia. Quam in re satis confuse loquuntur Auctores. Sex inuenio sententias. Prima ait matrimonium aduersus Pontificiam prohibitionem in initum, non esse inuallidum, nisi aliud subdit impedimentum, dirimens. Dicitur, quia fortius est matrimonium, vt potest quod iuris naturalis est, Pontificia prohibitionem. Sic glossa, c. penultimo, in fine, de despons. impub. Et manifeste loquitur glossa, quando est interdictum cum decreto irritanti: nam praemisisset ceteros contractus initos aduersus Pontificis decretum irritatis, esse inuallidos, secus eo decreto irritante minime adiecto prohibitioni: & immediate quaerit, quid in matrimonio, aduersus Papae interdictum celebrato, & respondet tanquam quid speciale, esse validum propter rationem dictam. Et ita glossam intelligit Abbas ibi num. 9. Cardin. nu. 9. & omnes. Eisdem glossae sententia amplectitur Innoc. ibi, in fine, quoniam in sponsalibus teneat ea reddi irrita. Eadem tenet Monachus. c. vnico, in fine, de voto, in 6. & ibi, Probus in additionibus, sine.

Secunda sententia sic distinguit. Si causa illius prohibitionis Pontificia sit perpetua,

vt pote quæ ad nullum tempus restricta est, erit irritum matrimonium, secus si causa sit temporalis, vt qd diei venerationem, vel ob litem pendentem. Probatur prior pars, ex c. tua fraternitas, de sponsa duorum: & c. penultimo, de despol. impub. quorum verba reuli, num. 1. Probatur etiam posterior pars ex c. 2. de matrim. contracto contra interdictum Ecclesi. iuncta glossa, verb. ob id, dicenti ideo interdictum illud Ecclesiæ non dirimere matrimonium subsequens, quod causa prohibitionis nõ sit perpetuum impedimentum. Ita docent glossa c. tua fraternitas verb. poteris, de sponsa duorum, & ibi Abb. num. 4. Alexand. de Neuo. num. 8. idem Abbas, c. penultimo num. 9. de despol. impub. Dominicus conf. 33. num. 11. Decius. c. 2. de testibus, colun. 2. verfic. Et prædicta, in noua editione nu. 17. Felinus, c. ex parte num. 6. verfic. 4. casus, de confit. Rosella, verb. impedimentum, impedimento. 16. sine. Ang. matrimonium. 3. impedimento 1. nu. vnico. Sylo. matrimonium 7. q. 1. dicto. 3. in principio: quantum postea aliam distinctionem amplectatur: (vt dicam nu. 7.) Armilla verb. matrimonium, nu. 54. Tabiena verb. impedimentum, impedimento 13. nu. vnico. paulo post principium, Co. uar. 4. decret. 2. par. c. 6. in principio num. 6. Gutierrez de tutel. 2. p. c. duodecimo, in num. 9. Doctissimi que Gregor. Lopez, l. 18. verb. ser deshecho tit. 2. par. 4. Matieço lib. 5. recopil. tit. 1. rubrica glossa 1. num. 146. Magdalenus de num. testium in testamento requisito, par. 1. c. 10. num. 102. & p. 3. c. 3. num. 230. Ludouicus Lopez, 2. par. instruct. de matrim. c. 46. §. porro aduertendum. Vualdus Cadelabro Sacramento- rum, 1. par. de matrim. nu. 83. ¶ Explicat aliqui ex his Doctoribus hoc procedere, siue prohibitio sit præcepti, siue constitutionis Pontificis. Sic Couarr. Matieço, Ludouicus Lopez, Vualdus proximè citati. ¶ Insuper sententiam hanc viderit intelligere Decius proximè citatus, vt quando matrimonium contra legem Pontificiam inritum habet causam prohibitionis perpetuam, sit nullum, quantum prohibitio simplex sit, nec decretum irritans contineat. Quia nu. 12. dixerat nil interesse vt actus gestus contra legem sit irritus, an lex simpliciter prohibeat, an etiam vltius procedat, decernens irritum quidquid contra gestum fuerit: atque pro se refert glossam Clem. 1. verbo, inhibentes, de iure patron. quam sequitur Alex. de Immol. l. 1. num. 8. ff. de liber. &

posth. & Iason. l. non dubium. num. 18. C. de legibus, vbi docet quando lex causam prohibitionis perpetuam habet, non valere actum contra eam gestum, licet lex non habeat decretum irritans. ¶ Sed Abbas, cap. penultimo nu. 9. de despol. impub. clarè intelligit distinctionem hanc, quando est decretum irritans, vt tunc sit prohibitio Pontificia contineat causam perpetuam, sit nullum matrimonium, secus si temporalem: tunc enim valet matrimonium, & decretum irritans debet referri ad causam, vt illius sensus sit, matrimonium illud separandum esse ad tempus quo causa illa perseverat. Et refert glossam, c. tua, de sponsa duorum, quæ est dux huius sententia, & ceteri Doctores citati illam sequuntur: & ita videtur clarè ita intelligere glossam. Eodem modo intelligunt hanc sententiam, Rosella verbo, impedimentum; impedimento 16. sine. Tabiena verb. impedimentum, impedimento 13. num. vnico. paulo post principium.

Tertia sententia distinguit inter clausulam generalem irritantem, & speciale, vt prior minime irritet matrimonium contra prohibitionem inritum, secus de posteriori: ita distinguit quidam, quos tacito nomine refert Abbas. c. penultimo num. 9. de despol. impub.

Quarta sententia similiter distinguit, nõ Pontifex constitutione generali interdicit matrimonium, an abscq. constitutione, per modum præcepti. Et priori casu dicit matrimonium dimitti: posteriori autem minime: nisi subita causa perpetua: & tunc non irritari propter interdictum, sed propter causam ac proinde causa, non existentem vera, validum esse matrimonium. Sic Goffredus summa, tit. de matrim. contracto contra interd. Eccles. numer. 1. & idem videtur sentire quoad posteriorem hanc partem, glossa c. tua, verb. poteris, de sponsa duorum. Hest. ibi, ad finem. Henricus. c. finali. num. 4. de matrim. contracto contra interd. Eccles. vbi dicit interdicto matrimonio ob causam perpetuam, separandos esse coniuges, donec de causa cognoscatur, & non probato impedimento permittendos esse simul habitare, per c. finale, de matrim. contracto contra interd. Eccles. atq. ita clarè censent non esse irritum matrimonium propter prohibitionem, sed propter causam.

Quinta sententia dicit, si Pontifex aliqui bus interdicit matrimonium viua voce cõ decreto irritanti, non esse validum, quantum aliud impedimentum minime subit, vel,

saltem

saltem ad eius intentionem recurrendum esse. Quia si potest Pontifex constitutione quæ lex mortua est, à fortiori viua voce irritare potest matrimonium. Et si potest lege generali impedimentum dirimens indicare, cur non poterit personale, aut locale? Ita docent Host. summa tit. de matrim. contracto contra interd. Eccles. sine, & cap. penultimo, sine, de despol. impub. vbi 104. Andr. sine, refertq. Alanum, qui id dubitèdo asseruit. Antonius ibi, sine, Anchar. nu. 7. Cardin. nu. 9. Præpositus sine, dicens esse commune, & cap. fraternitas, num. 3. de sponsa duorum. Astenis summa. 2. par. lib. 8. tit. 3. 1. art. vnico. q. 2. Guillelmus elem. vnica, de rerum perm. Et ibi Cardin. nu. vltimo, Anchar. q. 5. nu. 9. Inimola nu. 13. Et videtur tenere Palud. 4. d. 34. q. 1. art. 1. nu. 10. D. Anton. 3. p. tit. 1. c. 16. in fine principij, Sylu. matrimonium. 7. q. 1. dicto. 3. Antonius Cucus lib. 5. instit. morum, tit. 12. nu. 14. vbi dicit irritum esse matrimonium contractum aduersus Pontificiam prohibitionem continentem decretum irritans. Et addunt Hostiensis vtroq. loco, Præpos. eo. c. tua nu. 3. Astenis eo. art. vnico. q. 1. distinctionem commune relatione nu. 4. asserentem esse inualidum matrimonium inritum contra prohibitionem, quod causa prohibitionis est perpetua, secus quando est temporalis, locum habere, in prohibitione prelati inferioris, vel constitutionis Pontificæ: secus vbi Pontifex viua voce prohibeat cum decreto irritanti.

Vltima sententia ita distinguit. Si interdictum sit à iure, & causa sit perpetua, est irritum matrimonium, secus si temporalis. Si verò sit ab homine, & à Pontifice, & causa est perpetua, similiter non valet matrimonium. Si verò temporalis, aut adijcitur decretum irritans, & tunc similiter non valet, aut non adijcitur, & tunc valet. Ita Anton. c. tua fraternitas n. 5. de sponsa duorum. ¶ Ecce quam varij sint Doctores, & quam confuse loquantur. Sed meam sententiam qua claritate potero, sequentibus exprimum conclusionibus.

Prima conclusio. Sponsalia inita contra Pontificis interdictum, cum decreto irritanti, quantum generali, nec sponsalium mentionem facienti, sunt inualida. Vt si Pontifex ex causa iusta inhibeat duobus, ne sponsalia de futuro inter se contrahant, decernens irritum si quod contra gestum fuerit. Et ita intelligo Innoc. c. penultimo, in fine, de despol. impub. Et Alexandrum de

Neuo ibi nu. 21. constituentes id discrimen inter sponsalia, & matrimonium aduersus huiusmodi prohibitionem contracta, vt si sponsalia sint, hoc autem minime, nisi addatur clausula specificam mentionem matrimonij irritationis faciens (vt dicemus nu. 11.) Cum enim matrimonium sit res adeo ardua, & grauissimum negotium sit illud irritare, specificam clausulam poscit. Ad sponsalia verò irritanda non desideratur ea clausula specifica, sed satis est generalis, cum ea irritare non sit res tanti momenti. ¶ Existimo tamen sponsalia non reddi irrita ex simpliciter Pontificis prohibitione, ne ineanitur, nullo adiecto decreto irritanti. Sicut si Pontifex interdiceret ex causa iusta cuiquam ne voto se astringeret, peccaret uouens contra id præceptum, ac validum esset votum, quia non adiectum est decretum irritans, & multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent. c. ad apostolicam, de regular.

¶ Sed obijcies promissionem iniquam nullam esse momenti, vt si voto castitatis affirmatus, aut alio impedimento solum impedienti ligatus iniret sponsalia de futuro, essent proforsus inualida, quod promissio iniqua sit. Cum ergo promissio illa matrimonij sit contra Pontificis iustum præceptum, iniqua erit, ac subinde inualida. Dic promissionem iniquam ex parte obiecti, esse proforsus inualidam, id est, cõ obiectum illius promissionis esse iniquum, quale est inire matrimonium laboranti quocunq. impedimento etiã solum impedienti. Secus quando obiectum promissionis est licitum, quantum promissio ex alia circumstantia sit peccatum, vt quia contra prohibitionem. Sicut modica deliberatione uouens religionem peccat venialiter, at votum tenet. ¶ Sed quid, si Pontifex interdicit matrimonium absque decreto irritanti, an valeant sponsalia: esto matrimonium valerit, iuxta dicenda num. sequenti. Sic distingendum censo, si causa prohibitionis, ac proinde ipsa prohibitio sit perpetua, sponsalia erunt nulla, tanquam rei illicitæ promissio, si verò temporalis sint: valebunt vtiq. Quod intellige, nisi obligatio sit ad contrahendum matrimonium, eò tempore quo durat prohibitio. Tunc enim esset res promissa illicita, ac subinde sponsalia nulla. Constat ex dictis lib. i. disp. 15. nu. 2. vbi probauimus laborantes impedimento perpetuo etiam solum impedienti, ad inueidum matrimonium, esse incapaces validè contrahendi sponsalia: secus de impedimento temporali: nisi pro eò tempore quo

impe-

impedimentum durat, se obligent. ¶ Hinc inferitur, quid dicendum sit de sponsalibus initis aduersus episcopum, aut parochi præceptum, interdicens matrimonium. Cui enim his non integrum sit, matrimonium perpetuo impedire, sed ad tempus ex causa iusta (vt dicemus disp. 6. n. 6) sponsalia durante, ea matrimonij prohibitione inita, valida erunt, nisi contrahentes se obligarint ad perficiendum matrimonium duranti legitima eius prohibitione.

10 Secunda conclusio. Si prohibitio simplex sit, nimirum absq; decreto irritanti, matrimonium aduersus eam prohibitionem Pontificiam in initum, est validum. Constat, quia cum multa prohibeantur, quæ tamen facta tenent, e. ad apostolicam, de regular. ac prohibitio sit nuda, ac simplex, non est cur dicamus rem tam arduam, & tanti momenti, ac est matrimonium tunc irritari. Idq; aperte deciditur. c. 2. de matrim. contrac. cõtra interd. Eccl. in fine, cuius verba nu. 1. retulimus. Atque ita docet, dicens esse omnium, & Alex. de Neuo. c. penultimum num. 21. de despons. impub. Idem Ricard. 4. d. 32. art. 5. q. 2. sine. Palud. 4. d. 34. q. 1. art. 1. nu. 10. D. Anton. 3. par. tit. 1. c. 16. in fine principij. Sylu. matrimonij. 7. q. 1. dicto. 3. Turrec. c. non oportet, el. 1. 33. q. 4. nu. 2. in solutione ad 2. ¶ Hinc fit minus veram esse sententiam Decij, & sequacium nu. 4. ad finem relatam, dum asserunt matrimonium aduersus Pontificiam prohibitionem ex causa perpetua factam, contractum esse inualidum, quãus decretum irritans minimè contineat. Id enim esse minus verum conuincitur, tum ex dictis, tum etiam, quia omnia matrimonij impedimenta solum impediencia, prohibent perpetuò matrimonium iniri, illud tamen cum eis in initum minimè dissoluunt. Et c. 1. & c. ex litteris, de eo qui cognouit confang. decernitur incestuosos nunquam posse ad alias nuptias transire, & tamen certum est validas esse, si contra eam prohibitionem, quæ perpetua est, ad eas transeant.

11 Tertia conclusio. Similiter erit validum, quauis sit decretum generale irritans, & non referens se specificè ad matrimonium. Vt si Pontifex interdicens matrimonium, addat si quid contra gestum sit, fore irritu, & inane. Rationem huius conclusionis subiecit nu. 9. constituentes in hoc discrimen inter sponsalia, & matrimonium. Et in hoc euentu est vera sententia glossæ, & Innocentij nu. 3. re. lata, asserentium matrimonium contractum aduersus prohibitionem

cum clausula irritanti, nõ reddi irritum. Et ita docet Alex. de Neuo eodem cap. penultimo nu. 21. de despons. impub. Quare tunc clausula illa irritans debet intelligi, vt contra gestum non valeat in præiudicium alicuius. Et ita intelligitur illud. c. penultimum, & ita explicat ibi glossa verb. irritum.

12 Quarta conclusio. Si clausula decreti irritantis faciat specificam matrimonij metionem, id irritans si contra prohibitionem in initum sit, distinguendum est, nõ causa sit temporalis, an perpetua, vt priori casu matrimonium non reddatur irritum, sed sensus sit, vt matrimonium sit nullum, non simpliciter, sed in quantum parat præiudicium alicui litæ, ob cuius pendentiam est ad tempus interdictum: posteriori autem, irritum reddatur. Quia cum matrimonij irritatio sit res grauissima, non censenda est inducta ex tali clausula adiecta prohibitioni ob causam temporalem, sed iuxta merita causæ dimetiendum est, an sit irritatio absoluta, an potius quodad peculiarem effectum. Et in hoc casu est vera cõmunis distinctio relata nu. 4. inter prohibitionem matrimonij ex causa perpetua, & temporali. Atq; ita docet Alexander de Neuo. d. c. penultimum. nu. 22.

13 Quinta conclusio. Præmissæ quatuor conclusiones veræ sunt, siue Pontificia prohibitio sit per modum constitutionis, siue per modum præcepti. Quoniam nullum inuenio inter hæc discrimen, nisi quod ad durationem, constitutio enim perpetuò durat: mandatum verò morte mandantis extinguitur: vt potest videri in Sylu. verb. mandatũ q. 3. Cum enim vtroq; modo possit Pontifex matrimonium interdicere, ac dirimere, nil interest siue prohibitio per modum præcepti, siue per modum constitutionis emanet. Atq; ita nullam in hoc differentiam agnoscunt, Anchar. clem. vnica. q. 5. nu. 9. de rerum permur. Couar. Matienço. Ludouicus Lopez, Vivaldus nu. 4. relati. Quare audiendi minimè sunt Doctores, quos nu. 7. & 8. retuli, inuenientes quoad rem hanc, discrimen inter præceptum, & constitutionem Pontificiam.

14 Sexta conclusio. Quauis causa interdicendi matrimonium sit temporalis, & matrimonium contra prohibitionem in initum sit validu, at quando iudicis prohibitio fuit legitima, separandi sunt coniuges ad tempus, in pœnã delicti, ne pœnã immunitate præceptum iudicis iustum cõtemnere addeat. Constat ex c. 1. de matrim. contrac. cõtra interd. Eccl. ibi: *Mãdamus quatenus si est ita,*

Præfatam mulierem, ne mandatum tuum contemptibile violatur, ad domum matris redire compellat, & imposta sibi de tanto excessu pœnitentia condicatur, postquam in domo matris per mensem fuerit, ad certum reuerti permittat. Nec obstat. c. 2. eo. tit. vbi id matrimonium minimè separandum esse decernitur. Nam intelligitur de perpetua separatione. Atque ita docent glossa. c. tua fraternitas verb. poteris, de sponsa duorum. Et ibi Anton. nu. 5. Host. ad finem, & summa tit. de matrim. contrac. contra interd. Eccl. §. vltim. nu. 3. Henricus cap. finali, eodem tit. nu. 4. Astenfis summa. 2. par. lib. 8. tit. 3. art. vnico q. 1. Angelus, matrimonium. 3. impedimento 1. nu. vnico. Albericus in suo dictionario, littera 1. verb. impedimentum. 16. Turrec. c. non oportet, el. 1. 33. q. 4. art. 2. nu. 2. Sylu. matrimonium. 7. q. 1. dicto. 3. Tabiena verb. impedimentum, impedimento. 13. n. vnico, statim in principio. Couar. 4. decret. 2. p. c. 6. initio nu. 6. Antonius Cucus lib. 5. in lit. maiorum tit. 12. num. 13. Et ex Theologis D. Bonaten. 4. d. 32. art. 4. q. 2. & ibi Ricard. art. 5. q. 2. Ludouicus Lopez 2. p. instruct. de matric. c. 46. §. porro aduertitur. ¶ Et quauis c. 1. de matrim. contrac. contra interd. Eccl. asignetur vnicus mensis, at tempus hoc separationis est arbitrarium, vt bene docent Hostiensis in summa, Antonius, Henricus, Astenfis proximè citati. Vnde mensis ille ponitur in eo textu, gratia exempli, & non ad arcendum iudicis facultatem. ¶ Soli autem coniugi culpæ participi, est interdicendus coniugij vsus, nimirum, ne debitum petat, quauis reddere debeat. Cõiux enim illius expertus, minimè puniendus est. Quod si vterq; reus fuerit, vtriq; est eadem pœna iniungenda, & vsus matrimonij omnino prohibendus, eo separationis tempore. Ita Host. in summa, Henricus, Astenfis ibidem. ¶ Quod si periculum incontinentiæ subit, non separandum est matrimonium, sed alia pœnitè-

tia iniungenda, vt in simili de tempore prohibito celebrantibus nuptias, docent Palud. 4. d. 32. q. 1. art. 4. nu. 19. D. Anton. 3. p. tit. 1. c. 17. ad finem. Turrec. c. non oportet, el. 2. sine 33. q. 4. Gaeta repet. c. ad limit. na. 30. q. 1. §. 4. nu. 549. sine. Sylu. matrimonium. 7. q. 2. dicto 6. ita intelligentes id caput, non oportet, decernens eas nuptias tunc celebratas, esse in pœnam ad tempus separandas.

15 Hinc inferitur, pendente lite super impedimento dirimenti prius matrimonij, atq; ita super eius valore, non esse ad aliud trãseundum, vt constat ex. c. tua fraternitas, de sponsa duorum. Et quauis hic textus loquatur pendenti appellatione: at idem dicendum est lite pendenti ante appellationem, vt constat ex. c. cum in apostolica, de sponsal. Quare matrimonium tunc cõtractum est separandum, dum lis durat, vt habetur eo. c. tua. Sic Abb. ibi. nu. 3. Alex. de Neuo. nu. 5. qui bene addit etiam nulla lite pendenti, non licere in eo euentu trãsitum ad aliud matrimonium, vt constat ex cap. duo pueri, de despons. impub. & cap. porro, de diuort. Quod si opponas e. laudabilem, vt lite pendenti, vbi habetur alterutrum coniugem accusatum non esse iure quod habet in alterum priuandũ, ante probatam accusationem. Dic eum glossa finali. c. tenor, de sent. & re iudic. & ibi Abbat. nu. 9. Alex. de Neuo eo. c. tua nu. 6. eum textum intelligi, cum nulla lite pendenti, sed approbante Ecclesia matrimonium in eius facie contrahitur. Imò addit bene Alex. de Neuo eo. nu. 6. hoc intelligendũ esse, nempe, vt non interdicendus sit vsus coniugij, quando ante litem motã, est contractum matrimonium, vt intelligatur, nisi contrahatur matrimonium stante alio matrimonio. Quia tũc cum possessio stet pro priori, interdicetur posteriori vsus, dum de prioris valore disceptatur.

DISPUTATIO TERTIA.

Vtrum Princeps secularis, siue fidelis, siue infidelis, possit suis subditis impedimenta matrimonium dirimentia, statuere?

SVMMARIVM.

R Esertur sententia negans posse Principem secularem fidelem impedimenta matrimonij statuere, nu. 1.

Potest id ex natura rei, nisi Ecclesia sibi reseruauest, num. 2.
Ecclesia potest id interdicere Principibus secularibus, & sibi reseruare, nu. 3.

Hodie nullus Princeps secularis fidelis potest fidelibus impedimenta statuere, nu. 4.

Princeps infidelis potest impedimenta etiā dirimentia statuere, nu. 5.

Quid de Iudaeis? Et ansi hodie contrahant in gradibus lege Moysae vetitis, teneat matrimonium? nu. 6.

An fideles subditi infidelibus subdantur, eorum legibus irritantibus matrimonium, ita ut matrimonium sit nullum cum eo impedimento? nu. 7.

An Princeps fidelis possit infidelibus sibi subditis, matrimonij impedimenta statuere, & statuta a Pontifice bus ligent? nu. 8.

An volentibus infidelibus subiectis Principibus Christianis inter se matrimonium inire: aut licet mota de valore matrimonij iuri: aut circa diuorsium celebrandum: Quis iudex sit competens? Et quid vbi alter est iam ad fidem conuersus? nu. 9.

Quid, si infidelis contrahat matrimonium apud fideles, & ad sit impedimentum dirimens statutum a suo Principe infideli? Velsi fidelis contrahat apud infideles cum impedimento dirimenti apud fideles? nu. 10.

Soluantur argumenta, nu. 11.

DE Principe seculari Catholico loquendo, quidam negant eū posse fidelibus sibi subditis aliquot matrimonij impedimenta statuere. Ducuntur, quia cum matrimonium fidelium sit Sacramentum, est res quaedā spiritualis, & sacra, ac proinde extra limites potestatis secularis. ¶ Secundo, quia, c. tua, de ordine cognit. deciditur causas matrimonij ad solius Ecclesiae forum pertinere. Imò ad solos Episcopos, & non ad inferiores definitur pertinere. c. murtorū, quod est. Alex. 2. 35. q. 6. & c. accedentibus, de excels. prelat. ¶ Tertio, ex c. 1. de sponsal. vbi quidam Francigena feminam Saxonem duxerat, & caufatus non esse suam, quod aduersus Francorum legem inierit matrimonium, & proinde fuerit nullum, transijt ad alias nuptias, & decidit textus prius matrimonium, non obstanti ea lege fuisse validū. ¶ Vltimò, quia c. Euphemii, 24. q. 3. quod est. D. Greg. lib. 4. epistol. epistol. 50. Ioāni Episcopo Corinthi, cum D. Gregorius asseruisset non effici infames quos tales lex civilis reputat, eo quod ad secundas nuptias trāsierint, subdit his verbis rationem. *Cum matrimonia hodie regantur iure poli, non iure fori.* Et ideo huius sententiae sunt Glossa finalis. c. si quis ingenuus, 29. q. 2. Anton. c. 1. de spō

sal. nu. 1. & c. 2. nu. 2. de desponsat. impubi. Hof. sum. ma. tit. de secundis nuptijs, sine. Abbas repetitione. c. Ecclesia, de consilii. 19. & c. 1. de spons. nu. 9. & ibi Alexand. de Neuo. nu. 21. 22. Praepos. nu. 7. Felin. nu. 10. & 11. & d. c. Ecclesia nu. 62. Francus. c. statutum, de haret. in 6. sine. Aftenis summa 2. p. lib. 8. tit. 19. art. 2. q. 5. Syllu. matrimonium 8. q. 8. dicto 1. Tabiena verb. impedimentum, impedimento. 6. nu. 1. Turrecrem. c. 1. 30. q. 3. art. 6. in solutione ad 1. nu. 17. Co. var. 4. decret. 2. p. c. 6. §. 10. nu. 16. Gaeta repetitione. c. ad limina 30. q. 1. §. 4. nu. 299. vlt. ad. 304. Brunellus de spons. conclus. 19. n. 1. Peguera. q. criminalibus. c. 4. 2. nu. 2. Et ex Theologis. D. Thom. 4. d. 4. 2. q. 2. ar. 2. ad. 4. vbi. D. Bonau. ar. 2. q. 2. ad finem. Ricardus ar. 2. q. 2. in fine corporis. Palud. q. 1. ar. 2. concl. 7. n. 25. & d. 26. q. 3. ar. 3. nu. 13. Maioris. 4. d. 29. q. 2. cōcl. 1. in fin. Scotus. 4. d. 42. q. 2. art. 2. ad. 2. Et ibi Quandus dispensa, propositione. 11. Cañedo summa Sacram. de matrim. c. 6. sine.

Ceterum absq; dubio dicendū est, posse Principem secularem ex genere, & natura suā potestatis, matrimonij impedimenta dirimentia fidelibus sibi subditis, ex iusta causa suis legibus indicare, eo pacto quo id Pontifex summus potest, nisi huius potestatem referuasset. Hanc partem probant omnes rationes, quas lib. 3. disp. 4. nu. 4. art. 1. ad probandum id posse Ecclesiam; & ideo in ea probanda non immorabor. Ratio; potissima est. Cum potestas regia ad tranquillitatem, & bonum publicā tendat, sit potissimum instituta: ei est, id quod ad hunc finem obtinendū desideratur, prouidere. Quale est circa matrimonia inuenda sancire, illa impediendo, & irritando. Inde enim maximè pendet tranquillitas, & recta reipublicae gubernatio. Quare egregie D. Thom. 4. contra Gentes. c. 78. & 4. d. 34. q. vnica, art. 1. ad. 4. dixit matrimonium in quantum contractum civilem in officium communitatis institutum, subiacere legis ciuilibus ordinationi. ¶ Et confirmatur, si enim potest Princeps secularis alios contractus ciuiles ob reipublicae bonum irritare; cur non poterit etiam matrimonij contractum cum id quandoq; idem bonum commune postulet. ¶ Nec obstat Principis secularis potestati, matrimonium esse Sacramentum. Quia eius materia est contractus ciuilibus, qua ratione perinde potest illud ex causa iusta irritare, ac si sacramentum non esset: reddendo personas inhabiles ad contrahendum, &

si illegitimum, & inualidum contractum. Si enim nudam sacramenti rationem attendamus, nec Pontifex circa illud disponere possit, illud dissolvens: eiusq; potestas ex ratione contractus humani, qui est materia huius sacramenti, cōsurgit (vt diximus hoc lib. disp. 1. nu. 2.) Et ideo hanc sententiam sustinent. D. Thom. 4. d. 34. q. vnica, art. 1. ad. 4. Glossa. c. si quis ancillam verb. & legibus. 29. q. 2. Taper art. 20. Louaniens. col. 4. §. in his igitur casibus. Victoria relect. de matrim. 1. p. secunda: partis num. 12. Petrus de Soto lect. 4. ad finem, de matrim. Sorus 4. d. 39. q. vnica, ar. 1. in solutione ad 3. in fine. Et d. 40. q. vnica, ar. 5. col. 4. verb. interrogationis. Ledesma 2. p. 4. q. 61. art. 2. col. 2. & q. 56. art. 3. dubio 1. concl. 1. Bellarminus lib. 1. de matr. c. 32. ad finem. Angles Floribus. 1. p. de matr. q. 13. de impedimento consanguinitatis, ar. 3. diff. 4. Enriquez lib. 12. de matrim. c. 1. nu. 4. Petrus de Ledesma de matrim. q. 50. art. 1. dubio 1. Bartholomaeus ad Ledesma dub. 29. de matrim. concl. 1. sine.

Potest nihilominus Ecclesia, Principibus fidelibus huius potestatis vltimū interdiceret, sibiq; referuare, qua id efficiente, irrita erunt leges Principis secularis contra eā reservationem, matrimonium impediētes, dirimentesve. Quoniam potestas temporalis est subiecta spirituali, ipsiq; subordinata in ordine ad finem spirituales, & supernaturalem: ac proinde poterit potestas spiritualis temporalē moderari, ac coercere in ijs quae rebus spiritualibus coniuncta sunt, quale est matrimonium, quod hodie est sacramentum, poteritq; illi limites praescribere quos transgredi valide nequeat. Et confirmatur, quia in contractu matrimonij fundatur ratio sacramenti, quae superioris ordinis est, & finem supernaturalē spectat. Tandem, quia, c. finali de raptor. approbatur matrimonium raptoris cum rapta, quantum secundum leges contrarium statutum fuisset. l. vnica. C. de raptu virg. Atq; ita docent Victoria, Angles, Petrus de Ledesma, Bellarminus nu. praecedenti allegati. Sorus. 4. d. 40. q. vnica. art. 5. col. 4. verb. interrogatiois, & col. sequenti verb. nihilominus. Ledesma. 2. p. 4. q. 56. art. 3. dubio 1. concl. 2. Palsim; inueniuntur leges ciuiles, matrimonium in aliquibus euentibus interdicentes, per ius Canonicum correctae. Quamuis Petrus de Soto teneat contrarium, quem nu. sequenti reprobo.

Hinc deducitur primò, non esse integrū

hodie Principi seculari fidelis disponere aliquid circa matrimonium fidelium impedienda, aut dissoluenda. Quoniam Pontifex hāc sibi potestatem referuauit, & merito quidem. Quippe cum matrimonij contractus hodie limites naturae excedat, & ad esse supernaturale sacramenti eleuatus sit, dedecet vt tanti sacramenti dispositio ad Principes seculares pertineat. Atq; hanc reservationē probant text. nu. 1. relati: & doctores ibi allegati, negantes hanc potestatem Principi seculari, sunt huius sententiae, eā enim negant non ex vi eius potestatis, sed ratione huius reservationis. Atq; in proprijs terminis docent Victoria, Enriquez, Petrus de Ledesma, Bartholomaeus ad Ledesma nu. 2. citati. Ledesma. 2. p. 4. q. 61. art. 2. col. 3. verb. sed contra est. ¶ Nec audirendus est Petrus de Soto lect. 4. de matrim. ad finem, vbi ait leges ciuiles ex pietate, & voluntate Principum in hac recessisse Ecclesiae, vt nullum iudicentur matrimonium illegitimum, quod Ecclesia tale non iudicat, non tamen propterea legi id auferendum esse, vt illegitimos aliquos reddere possit ad matrimonium inuendū, vbi clare admittit hodie id posse Principem secularem: nec posse Pontificem eam adimere facultatem, sed propria sponte, ac pietate ductos recessisse Principes. Sed contrarium probauit nu. praecedenti.

Secundò deducitur, Principes infideles posse hodie leges suis subditis indicare, quibus quaedam matrimonia ex iusta causa interdicit, ac dirimat, vt si ad pacem reipublicae videant expedire, ne infideles diuersae sectae matrimonium inter se copularent: aut certam solemnitatem adhiberi, quò matrimonia clandestina vitentur. Ratio est aperta, quoniam cum sint veri Principes ex natura suā potestatis, id est eis integrū (vt nu. 2. probauimus.) Nec constitutoibus Ecclesiasticis hanc sibi referuantiū potestatem arctantur. c. gaudemus, de diuort. Cessat; in ipsorum matrimonijs, ratio reservationis, cum Sacramenta minimè sint. Ita docent. D. Thom. 4. d. 39. q. vnica. art. 2. ad. 3. Durand. ibi. q. 1. in solutione ad. 2. nu. 10. Aftenis summa. 2. p. lib. 8. tit. 21. art. 1. q. 4. Abulen. 1. regum. 8. q. 175. & 176. sine. Rosell. verb. impedimentum, impedimento. 9. nu. vlt. Ang. matrimonium 3. impedimento. 10. nu. 1. D. Anton. 3. p. tit. 1. c. 6. verb. tertium punctum est. Syllu. matrimonium. 8. q. 10. dicto. 2. Tabiena verb. impedimentum, impedimento. 8. nu. vlt. Taper art. 20. Louaniens. col. 4. §. in his igitur casibus,

Sectus licet sibi dubio. d. 39. q. vnica, art. 1. in solutione ad. 3. in fine. Nauar. summa. c. 2. nu. 48. & lib. 1. coll. in 1. editione tit. de pactis. conf. 4. nu. 5. in 2. vero sub aliquo dubio. lib. 3. tit. de conuers. infidelium. c. 6. nu. 5. Ledesma. 2. p. 4. q. 6. art. 2. paulo post principium. Gaeta repetitione. c. ad limina. 30. q. in §. 4. nu. 435. Antonius Cucus lib. 5. in tit. maiorum tit. 12. nu. 102. Veracruz. 1. p. specul. art. 3. 2. in probatione. 2. o. et au. conclusionis. Palaci. us. 4. d. 39. disp. vnica. fol. 906. col. 1. vers. scito tamen, & d. 42. disp. vnica. fol. 916. col. 1. vers. & demum. Quidam. 4. d. 39. disp. vnica. propositione. 7. Angles Floribus. 1. p. de mat. q. 13. de imped. d. consanguin. art. 3. d. ffic. 4. Enriquez lib. 12. de mat. c. 1. nu. 4. Petrus de Ledesma de mat. q. 50. art. 1. dubio. 1. in corollario quod ex. 2. conclusionem infert, & q. 59. art. 2. ante dubium. 1. §. ex dictis sequitur. Ludouicus Lopez. 2. p. instruct. de mat. c. 52. col. 3. notabili. 1. Emanuel Sa summa verb. matrimonium, ubi de impedimentis dirimentibus nu. 18. Vega. 2. tom. summae c. 3. 4. casu. 19. & 139. Manuel. 1. tom. summae. 2. edition. c. 230. nu. 1. ¶ Vnde fit infideles hos qui cum impedimento dirimenti iuxta eorum leges, matrimonium inire, cui ad fidem redierint, iterum debere id matrimonium celebrare, si in eo persistere velint. Cum prius fuerit nullum. Sic Sotus, Angles, Emanuel Sa, Manuel proximè citati. ¶ Quod si roges, vnde discernendum sit, an id impedimentum sit dirimens apud eos, an potius impediens solum? Sotus proximè citatus dicit ex consuetudine apud eos obseruata. id deducendum esse: videndumque an inter eos ita ea lex obseruetur, vt matrimonium aduersus eam initum reputetur nullum. Quod si de eo vtu non constet, existimo iudicandum esse iuxta regulas traditas disput. precedenti. nu. 9. & sequentibus.

Excipit tamen Hebraeorum rempublica, cum enim hodie non sit libera, nec Principem habeat, nequit matrimonij impedimentum statuere: & statuta lege Moyse Leuitici 18. expirant cum illa lege. per Christi passionem. Sic Sotus, & Manuel nu. precedenti allegati. Nauar. lib. 3. conf. in 2. edition. tit. de conuers. infidelium. conf. 4. nu. 4. Vega. 2. tom. summae. c. 34. casu. 129. Subdit bene Sotus, si Iudaei quando ante passionem Christi, rempublicam liberam habebat, impedimentum dirimens statuisent, hodie durare. Quia illae leges secularis reipublice non sunt abolitae per Christum. Idemque docet

Ledesma. 2. p. 4. q. 6. art. 2. col. 2. Vnde fit minime audiendum esse. Enriquez lib. 12. de mat. c. 1. nu. 5. dicentem nunc apud infideles Iudaeos qui lege Moysi volunt impiè gubernari, esse irritum matrimonium prohibitum Leuit. 18. quod si vterque coeui ad fidem conuertatur, Ecclesiam permittet re vt ex dispensatione in eo matrimonio permanent. Quia illa lex Moyse profus extincta illos minime alstringere potest. Nec de ea Ecclesiae dispensatione constat. ¶ Nec similiter est audiendus Palacios. 4. d. 39. disp. vnica. fol. 906. col. 1. vers. scito tamen, ubi aequiparat Iudaeos alijs infidelibus, quoad matrimonij impedimenta stabilitenda. Quod ex dictis minus esse verum, facile conuincitur.

Id verò monuerim, fideles subditos infidelibus Principibus, vt pote qui eorum oppida inhabitant, alstringi legibus eorum iuris irritantibus matrimonij, in omnibus ijs casibus, in quibus ad alias eorum leges tenentur. Quare si eum ad dirimentum impedimento contrahant, erit nullum matrimonium. Quia ratio sacramenti superaddita matrimonio fidelium, non impedit in Principibus potestatem impedimenta dirimentia statuendi, sed sola reseruat. Pontificis (vt diximus nu. 2.) Quae ad Principes infideles extendi nequit, vt nu. 5. probauimus.

Tertio deducitur, posse similiter Principem seculari fidele infidelibus sibi subditis, impedimenta matrimonium dirimentia statuere. Quia si possit Princeps infidelis, cur non poterit fidelis? Nec reseruatio Pontificis, de qua nu. 4. meminimus, est respectu infidelium, cum matrimonium horum non sit sacramentum, ac proinde non militet in eis ratio reseruatiouis. Atque ita tenent Abulensis. 1. regum. 8. q. 177. sine. Ledesma 2. p. 4. q. 6. art. 2. col. 3. qui manifestè etiam sentit impedimenta ab Ecclesia haec tenis statuta, comprehendere omnes infideles, Principibus Christianis subiectos. Quoniam si subijciuntur Ecclesiae, quae dum ea stabilitur, minime eximit infideles. Quod alienum est à veritate. Nam Pontifex ea impedimenta non decernit vt dominus temporalis, sic enim non possit in tota Ecclesia, sed vt caput spirituale, & vt sic nullam habet iurisdictionem super infideles. Possit autem vt dominus temporalis in locis suae iurisdictionis statuere impedimenta infidelibus sibi temporaliter subditis, vt diximus hoc lib. disp. 1. nu. 3.

Quarto deducitur, si infideles Principibus

Christianis subiecti velint matrimonium inter se inire, & opponatur impedimentum: aut contendant matrimonium fidei initum esse inualidum: aut diuortium petant ratione adulterij, aut saeuitiae, nullo modo esse iudicem ecclesiasticum ad eundem, sed solum secularem esse competentem. Quia contractus est merè temporalis, & iurisdictionis secularis, nec infideles iurisdictioni ecclesiasticae subijunt. Quod si iam alter coniugum ad fidem redierit, actor debet sequi forum rei, ac proinde si infidelis agat ad diuortium, vel ad nullitatem matrimonij, debet conuenire fidelem coram iudice ecclesiastico, qui in causa matrimonij est iudex fidelium: ubi verò fidelis sit actor, debet infidelem conuenire coram iudice seculari, qui est eius iudex. Cum semper actor forum rei sequatur. C. si clericus, & c. cum sit generale, de foro comp. Quod si neuter agat, sed quidam tertius id matrimonium denūciat fuisse nullum, existimo solum iudicem ecclesiasticum esse competentem. Quia dignus debet trahere ad se minus dignum. c. non astimemus. 13. q. 2. & l. quae religiosus. ff. de rei uedie. At constat dignius esse matrimonium ex parte fidelis, in quo esse quoddam spirituale habet.

Tandem deducitur, si fidelis contrahat matrimonium apud infideles, apud quos do-

micilium habet, cum impedimento aliquo dirimenti ab Ecclesia inducto, matrimonium fore nullum. Quia leges Ecclesiasticae vbiq; terrarum fideles alstringunt. At secus erit dicendum, si infidelis contrahat extra patriam in loco Principi Christiano subdito, aut alii principi infideli, cum impedimento dirimenti statuto à suo solo Principe. Quia non alstringitur legibus suae patriae extra illam (vt late probauit lib. 3. disp. 18. nu. 18.) Dixi, à suo solo Principe, quia si etiam esset impedimentum dirimens sancitum à Principe loci in quo contrahit, non valeret. Quia peregrini alstringuntur legibus communibus suae patriae, & loco in quo reperitur (vt probauit eisdem lib. 3. disp. 18. nu. 17.) Si autem esset ab Ecclesia inductum illud impedimentum in loco fidelium, ubi infidelis contrahit, & in suo oppido à Principe infideli, valeret matrimonium. Quia lex illa Ecclesiastica non est generalis in illo oppido, sed solus fideles alstringit.

Ad argumenta nu. 1. proposita constat ex dictis. Nam omnes textus ibi relati, probant hodie id non posse Principem fidele: quod Pontifex sibi reseruaret. Quod num. 4. falsum est. Et matrimonium esse sacramentum non obstat quominus id possit Princeps, nisi Pontifex sibi reseruasset, vt num. 2. probauimus.

DISPUTATIO QUARTA.

An consuetudo efficax sit ad reddendos quospiam inhables ad matrimonium, inducendo noua impedimenta dirimentia: aut habiles, qui iure canonico inhables erant, abolendo aliquot impedimenta dirimentia iuris?

SVMMARIVM.

Propositur c. 1. & c. super eo, de cogn. spir. 6. 7. 8. 9. & 10. Et c. quod super, de consanguin. quae in hac re significatam ingerunt, nu. 1. Consuetudo nullas vires obtinet ad dissoluendum matrimonium legitimum, nu. 2. Potest consuetudo à Papa approbata, inducere impedimenta dirimentia, ac inducta abolere, nu. 3. Consuetudo potest impedire ad tempus, & efficere vt ad tempus separetur, nu. 4. Proponuntur duae quaestiones disputandae, nu. 5. Vtrum consuetudo possit inducere noua impedimenta matrimonium dirimentia? Reseruetur varia sententia: & varij modi interpre-

tandi textuum. c. super eo, de cognat. spir. nu. 6. 7. 8. 9. & 10. Explicatur sententia Authoris, & c. 1. de spons. & qualis consuetudo desideretur ad derogandum iuri Ecclesiastico, nu. 11. Soluuntur argumenta, nu. 12. An consuetudo possit aliquod dirimens impedimentum abolere? Reseruetur quaedam sententia, nu. 13. Proponitur sententia authoris. Et explicatur qualis consuetudo dicatur rationi consona, vt legi deroget. Et an reseruetur à lege consuetudine, possit noua induci aduersus illam legem: & desideretur in hoc speciali: euentus sententia Principis: & c. super eo, q. 3. postea adu-